



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sit pœnitentia. tit. 119

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

meretur remissionem peccatorum, sed petitio est, ut distribuatur propter Christum, Agnus Dei &c. Ios. 1.

Tertiò, dicitur autem Missa sacrificium, quia memoriam tractat sacrificij crucis. Etiam dicitur sacrificium verum, quia Christum, qui est verum sacrificium, pro toto mundo patri offert pro misericordia nobis distribuenda. Dicitur sacrificium laudis, quia in ea laudamus Deum, & gloriam gratiæ suæ, Ephe. 1. Dicitur sacrificium gratiarum actionis, quia Deo in illo gratias agimus pro magna gratia & misericordia.

Quartò, sic sunt multa alia sacrificia communia. Primò, ut præbeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placetem &c. Rom. 12. Sacrificium labiorum, Ose. 14. Heb. 13. sacrificium cordis contritum, Psal. 50. spiritus contribulatus, Philip. 4. Sacrificium iustitiæ, id est, cessare à peccatis. At nullum horum est sacrificium propitiatorium, præter unicum Christi sacrificium.

Quintò, Habet ergo fidelis duplex sacrificium. Alienum, i. Christi, quod per fidem tollit peccata, & unicum est. Deindè proprium, nempe omne opus bonum, quod facimus ad Dei gloriam, aut proximi utilitatē. Sic est oratio, ieiunium, elemosyna, tolerantia, persecutiones, laudes, gratiarum actiones, & id genus alia, quæ omnia etiã dicuntur sacrificia, & hostiæ spirituales, 1. Pet. 2. &c. Sic offerimus Deo preces, offerimus & cõmendamus Deo amicos nostros, nullum tamen occidimus. Hæc sententia catholica est, ideo nõ sunt curanda conuicia hæreticorũ. Non est ergo Missa novum sacrificium &c. quod ex opere operato tollit & meretur iustificationem, &c. sicut de catholicis sentiuntur hæretici.

*QVID SIT POENITENTIA.*  
TITVLVS CXIX.

Tria



**T**RIA occurrunt notanda. Primò, quid sit pœnitentia. Secundò, Cur instituta à Christo: Tertiò, qui sunt fructus ipsius. Primò, pœnitentia est vera contritio, cessatio & confessio anteaactorum peccatorum, cum firma fiducia ad consequendam remissionem peccatorum propter Christum. Marc. 1. Pœnitementi & credite Euangelio. Primò vera contritio cordis est, cum nos pigeat & velimus nos non peccasse, Psalm. 50. Iniquitatem meam agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Secundò, confessio in corde & ore de publicis & occultis peccatis, 2. Reg. 12. confitetur Dauid propheta Nathan, Peccavi, & Psalm. 18. de occultis in genere confitetur, Delicta quis intelligit? Ab occultis ergo meis & oblitis, & à participatione alienorum peccatorum libera me Domine. Confiteri ergo oportet coram Deo & hominibus. Tertiò, cessare: Ioann. octauo inquit Christus mulieri: Vade, & noli amplius peccare. At non peccare, est contrarios fructus & opera peccatis contraria facere, vt contra superbiam esse humilem, contra luxuriam esse continentem, Romanor. sexto. Sicut exhibuistis membra vestra, & illos fructus Ioã. Baptista Matth. tertio vocat dignos fructus pœnitentiae. Quartò, cum fide sperare remissionem propter Christum, nõ tuam dignitatem, Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Et sic pœnitentia complectitur contritionem, confessionem & satisfactionem atque fidem.

Secundò, Pœnitentia est ideo instituta à Christo, ne homo desperet post lapsum, & dicat cum Cain: Maior est iniquitas mea quàm vt veniã merear, Gen. 4. Sed vt homo sciret, quoniam gratia abundat peccato, Rom. 5. Et iterum per pœnitentiam rediret, sicut filius prodigus redijt ad patrem, Luc. 15. ideo in consolatione consciëntiæ, ne homo desperet post lapsum,



est instituta pœnitentiã. Sic Dauid Psalm. 129. predicat: Si iniquitates obseruaueris Domine, & non uelis remittere, quis sustinebit? Sed quoniam apud Deum est misericordia, misericordia, misericordia, & copiosa redemptio: idè speret Israel, id est, anima peccatrix in Domino. Sic reliquit Christus Ecclesie clauis absoluendi & ligandi, Ioann. 20. quoties opus fuerit, Mat. 18. quia uult lapsos iterum per pœnitentiã recipere in gratiam. Magna enim gratia illa est, qua Deus nos pœnitentes iterum uult recipere, quæ gratia Luciferò cum suis socijs non est concessa.

Tertiò, Fructus & usus pœnitentiã est remissio peccatorum, & redintegratio fauoris & misericordiã Dei sic 1. ad Tim. 1. Ego blasphemus fui, scilicet, in fide Christi, quam maledixi. Persecutor fui Christi non propter fidem Christi & contumeliosus, Actor. 9. scilicet personã Christi. Sed quoniam doleo, & ignorans feci, ideo iterum contectus sum misericordiã superabundauit gratia, id est, misericordia supra peccatum, quæ nedum remisit peccatum, sed etiã fidem & dilectionem Domini nostri Iesu Christi donauit. Subindè, Hic uerus & certus sermo est, quoniam Christus uenit in mundum peccatores saluos facere, ergo lapsorum uult misereri, Luc. 5. Non ueni uocare iustos, & car. Secundo, ego sum primus peccatorum. Misit mihi Christus, ut in me daret exemplum pœnitendi, & consequendi remissionem peccatorum omnibus peccatoribus. Sic peccatores fuerunt recepti Dauid, 2. Reg. 12. Zachæus, Luc. 19. Et Magdalenã. 7. publicanus, Petrus negans, latro, Matthæus, Thomas incredulus: ergo fructus pœnitentiã est, iterum impetrare remissionem & gratiam.

Mendacia sunt Hæretica, quæ imponuntur Ecclesiã, quod docet: Primò, contritionem mereri remissionem peccatorum, Item oportere cõtritionem iustificati.



scientem esse: Tertio, cogere homines, vt enumerent omnia peccata.

DE SIGNIS VERAE POENITENTIAE, id est, Contritione, Confessione & satisfactione.

## TITVLVS CXX.

**P**RIMUM dicitur, Fundamentum poenitentiae est promissio remissionis peccatorum propter Christum, sicut Petrus ait Act. 10. Huic omnes Prophetarum testimonium perhibent, remissionem peccatorum per nomen eius recipere, & Paulus Actor. 13. Per hunc vobis remissio peccatorum adnunciatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege iustificari. Haec igitur vna de maximis gratijs est, quod Deus lapsos iterum vult per medium poenitentiae recipere in gratiam, sicut fecit Dauid, 2. Reg. 12. Et Petro, Matth. 26. Non enim vult Deus mortem peccatoris, Ezech. 18. & Roman. secundo. Benignitas Dei nos ad poenitentiam expectat, id quod non fecit Luciferi, Esai. 14. Sodomitis, Gen. 19. Et Dathan & Abiron, Num. 16. quos & plebsque alios in puncto puniuit. At nos consolatur propter Christum & vocat ad poenitentiam, & remittit peccata propter illum.

Secundo, vt vera ac integra sit poenitentia, SS. patres ex scripturis tria signa annotarunt. Primum est contritio & moeror animi seu dolor, propter hoc quod Deum offendit. Sic Dauid dixit Psalm. 50. Peccatum meum contra me est semper. At talis contritio non est ex viribus naturalibus, sed Deus illam operatur per legis terrores & minas in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. subinde per operationem spiritus sancti in corde, qui facit nos gemitibus inenarrabilibus clamare ad Deum pro misericordia, Rom.

Vu 4 8. igitur